

dinis, spiritus scientiae, et pietatis, spiritus timoris Domini. Ad istam vocem roraverunt coeli desuper, et nubes pluerunt iustum, aperta est terra, et genuinavit Salvatorem, quem prophetae praenuntiaverunt, angelus praedixit, et ipsa Virgo credidit. Denique ad istam vocem, vo- cem plenissimum, plenissime completum fuit magnum illud divinae pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gen- tibus, creditum est mundo, et assumptum est in gloria. Quare autem Deipara Maria vocavit Christum Dominum puerum, non autem Sal- vatorem mundi, verum Messiam, aut certe Fi- lium Dei humana carne indutum? Angelus Cae- lestinus respondet, quod cum beata Virgo in sacrarum Scripturarum lectione veratissima es- set, et ab Isaia, et Davide nullis in locis puer vocitaretur: Puer natus est nobis, et filius datus est nobis: Eos puer meus, quem elegi: Puer parvulus minabit eos: Da imperium tuum puero tuo; ideo puerum illud vocavit. Deinde ait, quia spiritu propheticum praenoverat Deipara Christum Dominum a sacris evangelistis fre- quenter appellandum puerum: Surge, et accipe puerum, et matrem eius: Puer autem crecebat, et confortabatur; idcirco puerum illum nuncupavit. Ego autem, ni fallor, crediderim, Ma- riam consulto filium suum vocasse puerum, quia puer in divinis eloquiis usurpatur pro servo; Christum autem Dominum humiliter semetipsum formam servi accipiens, ut ait Paulus (Philip. 2): unde et ipse dixit (Matth. 20): Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Ex quo egregie Albertus magnus dixit (sup. cap. 1. Luc.), Christum Dominum carnem assump- sisse, ut ageret puerum, hoc est, non domi- num, sed servum: Discipuli ad hoc alludentes, quamvis aliqui Iudaei convenissent Ierosoli- mas ad Christum Dominum occidendum, cum non puer, sed fere triginta, et trium annorum adollescens esset, dixerunt (Act. 4): Concreverat vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unctis, Herodes, et Pontius Pilatus. Quod si pueri ethymologiam consulamus, dicitur enim puer, quasi purus aer, propter puritatem, ut docent Archidiaconus (in cap. 1. de Clerico aegrot. lib. 6), et Albricus (in suo repertor. in 1. alphabeto verbo puer), ideo puerum illum vocavit, tum ad significandum innocentiam Christi Domini puritatem, et innocen- tiam; tum ut doceret, oportere nos, si incarna- tionem Verbi divini mirificos fructus percipere volumus, parvulus effici, iuxta illud Christi Do- mini (Matth. 18): Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Parvuli qui- dem absque peccati malitia vitam agunt, unde Apostolus monens nos in hac innocetia eor- um fieri aemulatores, ait (1. Cor. 14): Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli. Pueri odium facile deponunt, iuxta illud Pauli (Ephes. 4): Sol non occidat super iracundiam vestram. Pueri de crastino non sunt solliciti, iuxta evangelicium consilium (Matth. 6): Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Pueri non confidunt in se, sed in patre suo: unde Ieremias ait (c. 17): Maledictus qui confidit in homine, et

ponit carnem brachium suum: et rursus: Benedictus vir, qui confidit in Domino. Pueri si per- cantiantur, confestim plorantes ad parentem suum confugiunt, quomodo confugiebat David (Psal. 119): Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me. Pueri sunt timidi, quorum timo- rem desiderabat propheta, cum enixe postula- bat (Psal. 118): Confuge timore tuo carnes meas. Pueri non sunt fraudulentuli, d. Petrus dicens (1. Pet. 1): Sicut modo geniti infantes, sine dolo lac concupiscite. Parvuli pueri in brachiis por- tantur a parentibus (Osee 11): Portabam eos in brachiis meis. Tandem pueri, si nunc plor- ant, facile postea rident, in quo et iusti eos imitantur, quibus Dominus dixit (Ioan. 16): Amen dico vobis, quia plorabilis, et flebilis vos, ecce fletum, sed tristitia vestra vertetur in gau- dium, ecce risum. Equidem licet isti plorantes nascentur, iuxta illud Salomonis (Sap. 7): Pri- mam vocem similem omnibus emisit plorans, ri- dentes tamen, et spiritaliter gaudentes moriun- tur, ut tradit d. Ioannes (Apo. 14): Beati mor- tui, qui in Domino moriuntur. Sed pro dolor! pauci huiusmodi pueri inveniuntur, multi autem quos Isaias maledicens dixit (cap. 66): Puer centum annorum morietur: hi sunt, qui instar puerorum pretiosa monilia pro pmo facile commutant (4. Thren. 2): Dederunt pretiosa quaeque pro vino: qui a mano usque in sero versucunt (Isai. 56): Canes impudentissimi, qui nescierunt saturari: qui somno nimium indulgent (ibid.): Dormientes, et amantes som- nia: qui rationis iudicio carent (Prov. 22): Multi- titudo colligata est in corde pueri: qui dispersi ad domum patris reverti nesciunt (Psal. 102): Erraverunt in solitudine, et viam civitatis ha- bitaculi non invenerunt: qui facile rixantur (Isai. 16): Homo percussus suscitavit lites: qui tandem tempus in iocis, et ludis conterunt, quorum singulis Ovidius (lib. 1. de rem. amor.):

Tu puer es, nec te quidquam, nisi Iudere oportet,  
Lude, decent animos mollia regna suos.

Porro, iam ad explicanda verba illa Virginis recordatus misericordiae suae, nostra pergat or- ratio. Certum est apud theologos, quod sicut in Deum oblivio cadere non potest, ita nec re- cordatio: unde quando in sacra Scriptura reperitur, Deus recordari, vel oblivisci, metaphorice accipiendum est, quatenus multum temporis praeterierit ab eo, in quo aliquid promisi ad illud, in quo promissionem implevit. In hoc sensu dixit olim Moyses (Exod. 2): Recordatus est foederis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob, et in eodem etiam beata Virgo ait: Recordatus misericordiae suae; itaque sicut ille, qui aliquid se nobis daturum promisit, quando immissum non implet, rei promissae quasi oblitus dicitur; ita Deus, qui Filium suum quo- tidium mundi Redemptorem promiserat, quando ipsum non mitlebat, videbatur quasi suae pollicitationis oblitus. Verum post- quam illum misit, tunc Deus, qui antea videbatur oblitus, dicitur suae misericordiae re- cordatus. Et ideo per metaphoram de Deo di- cit nostra Virgo: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae. Sed quomodo, di-

mih, Dominus suae misericordiae non recora- daretur, qui tantis mediis usus est, ut eius nunquam oblivisceretur? sicut enim nos tribus frequentius uti solemus, ut ea, quae vo- lumus memoria retinere, ab ea non decendant, aut enim in sudariolo nodum conficimus, aut in digito aliquid ligamus, aut in libro scrip- tilamus: ita omnibus istis tribus modis Deus usus esse videtur, ut nunquam suae erga nos promissionis oblivisceretur. Imprimis enim in- dissolubilem nodum dedit, cum Filium dare promittens specialiter Abrahae se obligavit, cui primo facta est a Deo de Christo repositio (Gen. 12): Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et velut arenam, quae est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae. Sic etiam de A- braham dicit Apostolus (Gala. 3): Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius. Deinde fecit Deus signum in digito suo. Sed quid dico si- gnum? multa signa in digito suo, hoc est, in Spiritu sancto, operatus est, propter quae omnino stupefacti malefici Pharaonis dicebant (Exod. 8): Digitus Dei est hic. De hoc digito locutus est Christus, cum dixit (Luc. 11): Porro si in digito Dei eicio daemonia, profecto per- venit in vos regnum Dei. Hoc suo digito signa- tur Deus, et in cordibus, et linguis propheta- rum scriptis, quaecumque ipsi de Filio suo pro- phetarunt; et ideo d. Petrus (2. Pet. 1): Hoc primum intelligentes, inquit, quod omnis pro- phetia propria interpretatione non fit, non e- nim voluntate humana allata est aliquando pro- pheta, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

Denique ut Deus semper recordaretur promissionis suae factae de mundi redemptore, usus est etiam tertio scriptiois medio, scrip- sit in libro. Unde in persona Christi dicit pro- pheta (Psal. 39): In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Idque est valde conforme cum illo quod in propria persona ipse Christus dixit (Ioan. 6): Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Itaque omnibus istis tribus mediis usus est Deus, ut recordaretur adimplere, quod tanto ante promisit. Merito ergo dicit nostra Virgo: Suscepit Israel puerum suum, recordatus miseri- cordiae suae. Quamvis autem certum, et explo- ratum sit, Deum nunquam misericordiae suae oblitum fuisse, cum et iratus illum oblivioni non tradat, Abacuch dicens (c. 3): Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis; postquam tamen Filium suum in virginis Mariae thala- mum carnem assumpturum misit, specialem humani generis memoriam habet, ut ei benefaciat, omnemque iram ab eo avertat. Sicut enim olim coelestem arcum posuit Deus in ae- there in signum pacis (Gen. 9): Arcum meum ponam in nubibus caeli, et erit signum foederis inter me, et inter terram, et non erunt ultra aquae diluviis ad delendum universam carnem; ita adveniente plenitudine temporis Deus coelestem divini Verbi arcum in fulgentissima Ma- riae nube collocauit, arcum quidem variis vir- tutum coloribus distinctum, arcum fortem, un-

de excussae fuere sagittae potentiae arcum, quae inferni claustra penetrarunt, arcum tandem coelestem in signum foederis, et reconciliatio- nis nobiscum. Unde si quondam Salomon (Ec- cles. 43) solius iridis, seu arcus coelestis pul- chritudinem contemplantis non ad eius auctorem laudandum invitabat: Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo; quid quaeo diceret, si huius divini arcus in tam pulchra, ac perbella nube positi miram speciositatem, quae iridis pul- chritudinem infinito intercapedine superat, o- culis suis conspiceret? si Salomon etiam Simo- nem dicitur filium magnum sacerdotem com- mendans inter alios eius laudes dixit (Eccl. 50): Quasi arcus resurgens inter nubis gloriae; quibus quaeo laudibus extolleret aeterni Patris Filium summum Sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech, cum ille qui est splendor Patris, omnem creatum splendo- rem praecelat: coelestis enim arcus, propter solares radios non immissos, effulget; hic autem non ab extrinseco opus habuit suam emen- dicare claritatem, cum per essentiam ipse sit lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ad extremum ar- bitror b. Virginem consulto dixisse: Recor- datus misericordiae suae, ut significaret Verbi divini incarnationem, cuius laudes decantabat, non ex humanis meritis, quae nulla ad tam immensum bonum promerendum valere poterant, sed ex mera Dei gratia, misericordia, ac munificencia profuisse: non enim Abrahae fi- des, non Moysis mansuetudo, non Iob patientia, non planctus Ieremiae, non suspiria, et clamores prophetarum, non denique heroica patriarcharum opera Verbum divinum huma- nae carnis mortalitate indiu meruerunt; sed tantum ac tam sublime opus sola Dei miseri- cordia promisit, et b. Virgine cooperante in eius utero perfecti; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA XXVIII.

Interpretamus ultima illa verba Mariani Cantici: Sicut locutus est ad patres nos- tros Abraham, et semini eius in saecu- la: ubi tria praecipue ostendimus; pri- mum per sex mundi aetates Deum lo- cutum fuisse de Verbi divini incarnatione; secundum, Deum in suis promissio- nibus fidelem, mundum vero infidelem, et mendacem esse; tertium, verum se- men Abrahae non Iudaeos, sed catholi- cos esse.

Si ad promissionem de Verbi divini incarna- tione mentis aciem convertamus, plane in- veniemus, non solum Abrahae, sed multis re- tro temporibus ante illum antiquioribus patri- bus Deum Filii sui incarnationem pollicitum fuisse. Promisit illam Adamo, et Evae, cum vin- dictam sumpturum de serpente affirmavit, cuius caput conterendum erat per semen, seu filium

Virginis (Gen. 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa, seu ipsum, ut habet originale hebraeum, conteret caput tuum.* Eandem promissit Verbi divini incarnationem Abeli in sacrificio, quod idem obtulit de primogenitis gregis sui, quod figuram gessit crucem illius sacrificii, quod primogenitus Dei Filius in ara crucis obtulurus erat. Promissit eandem Noe, cum coelestem arcum in nubibus posuit in signum pacis, et foederis; ille enim pulcher arcus, absque nubis laesione in ea productus, speciosum forma prae filius hominum in Mariani uteri nube, absque ulla virginitatis suae iactura producendum fore praenotabat. Post hos autem Patres eandem promissit Abraham: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae;* eandem Isaac in benedictione filiorum suorum, Iacobo in benedictione Iudae, Moysi apprensus in rubo ardenti, qui non comburebatur, Davidi in confirmatione, et stabilimento regni sui in aeternum, Salomoni in exauditione necem illius in templo sancto suo, Isaiae in fecundatione, et partu Virginis, Ieremiae in renovatione legis, et scriptioe illius in corde humano, Danieli in liberatione populi post septuaginta hebdomadas; nullis tandem prophetis, Zacharia dicente (Luc. 1): *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius.*

Sex commemorant sancti Patres mundi aetates a creatione mundi usque ad adventum Christi Domini, in quibus omnibus, si rem attente perpendamus, facile reperimus, Deum optimum maximum de futura Verbi divini incarnatione, *multifariam, multisque modis*, ut Pauli (Hebr. 1) verbis utar, antiquis Patribus locutum fuisse: multifariam, inquam, quia variis, et multiplicibus figuris, ut exponit Theophylactus (in ep. ad Heb. c. 1), hoc est, per tropos, per aenigmata, per signa, per externas apparitiones, per internas inspirationes, necnon per vocalium verborum angelico ministerio factam expressionem. Et quidem primo parenti in prima illa mundi aetate promissum fuisse incarnationis mysterium, praeter ea, quae nuper dicebam, duo praecipue aperte succedunt. Primum est, quia cum vidisset Adam ex coela eius formatam fuisse Evam, continuo in illa verba prosiliit (Gen. 2): *Hoc nunc os ex osibus meis, et caro de carne mea:* quibus divinitus inspiratus incarnationis arcanum vaticinatus est, ut d. Hieronymus (sup. ep. ad Eph. 5) his verbis expressit docuit: *Primum homo, et primus vates, hic de Christo, et Ecclesia prophetavit.* Secundum est mors innocentis Abelis ab invito fratre Cain, quae Christi mortem a fratribus suis, hoc est, ab Hebraeis per invidiam sibi inferendam, non obscure praefigurabat, maxime quod, ut Hebraei narrant, ferro et ligno fuit occisus Abel, quod et modum mortis Christi aperte delineavit, cum illum sustinuerit in lignea cruce ferris clavibus in ea confixus. Addunt etiam alii, cum Ang. Coelestino (sup. Magnif.), et Chrys. Lusit. delineatum fuisse primo parenti mysterium incarnationis in tuicis illis pellicibus, quibus ipse, et Eva induti fuerunt: quia sicut illi propter peccatum mortuorum animalium pelibus induti sunt; ita se-

cundus Adam, alioquin sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, propter eorum praevocationem pellicea mortalis carnis tunica induendus erat. Fecit etiam Deus in illa prima aetate aliam huius divini arcani manifestationem sancto patriarchae Henoch, quod ipse firmiter credens meruit transferri in terrestrem paradysum, ut affirmat s. Augustinus (l. 2. cont. Iovin.). Sed et eruditus auctor Salmeron docet proplatum fuisse idem mysterium, quia ille coepit, ut sacra Genesis narrat historia, cultum Dei instaurare, et nomen Domini invocare, quod est Verbum incarnatum, ut docet Episcopus Christophopolitanus.

In secunda aetate hoc idem arcanum reservavit Deus Noe, nam praeter arcum ex tribus coloribus constantem, qui Christum ex tribus substantiis compactum, divinitate, anima, et corpore in unitate eiusdem personae praefigurabat; per ligneam arcam ab inundatione diluvii innumera animalia liberantem, ligneam Christi crucem, per quam praedestinati ab inundatione divinae irae infallibiliter liberantur, non obscure et aperit. In tertia aetate manifestavit hoc mysterium Abrahamo, cum filium suum primogenitum immolaturus sibi praecipit, in typem Christi in Calvariae monte in ara crucis immolandum. Manifestavit etiam Isaac, quando ipse morti proximus adductum sibi filium mortui animalis pelle coopertum tangens dixit (Gen. 27): *Eccc odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus:* tunc enim praevidit Dominus arcam sumpturam fore ex semine Iacob, simulque praesens fragrantiam miram meritorum humanitatis Christi Domini. Manifestavit deinde illud in eadem tertia aetate Iacob, scalam videntem, quae una extremitate terrae haerebat, et altera coelum tangebatur, et per quam angeli ascendebant, et descendebant: illa enim Christum adumbrabat, qui velut mystica scala, altera humanitatis extremitate terram calcavit, altera divinitatis coelum tetigit, et super cherubim volavit; pariterque per ipsum tamquam per scalam homines ad coelum ascendunt, et angeli ad eos in coelestem patriam ducentes descendunt. Agnovit item Iacob mysterium incarnationis in lucia illa, quam habuit cum angelo praevalens adversus illum, in qua ipsa angelus voluit vincit, alioquin nulla ratione vincendus: id enim praesignificabat futurum esse, ut Hebraei adversus Christum, non tamen ipso invito, sed volente, in eius passionem illum occiderent, in conspectu hominum praevalerent. Multo tamen clarior idem praevidit mysterium Iob, quando divino Spiritu afflatus verba illa sacramentis plena protulit (Gen. 49): *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium;* quibus verbis aperte ostendit Iudaeorum regnum non fore devastandum, donec Filius Dei carnem sumpturus a Patre in mundum mitteretur. Rursus in quarta aetate, praeter quam omnia in figura contingebant illis, variaque sacrificia, et ritus et capri emissarii, et agni paschalis, et aliorum similium Christum adumbrabant, speciat-

liter sacramentum hoc revelavit Moysi: nam cum ei Dominus dixit (Exod. 33): *Posteriora mea videbis:* quasi diceret, terga humanitatis meae agnosces, faciem tamen divinitatis meae, quam aspicer cupis, nunc non videbis, ut s. Gregorius (lib. 3. moral. c. 9) explicat. Sed adhuc luculentius magis id ipsum ei manifestavit dominus (Deuter. 18): *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui, hoc est de semine David,* ut exponit glossa interlinearis: unde ipse Moyses de Christo ad populum loquens dixit: *Prophetam de gente tua, et fratrum tuorum sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies: ad quae verba alludens, ni fallor, Christus Dominus, Hebraeis dixit (Deut. 18): Si enim crederetis Moysi, scilicet de me vobis loquenti, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* In quinta deinde mundi aetate pollicitus fuit Dominus David unigenitum filium suum sibi coaeternum ex regali eius familia in tempore oriundum (1. Paralip. 13): *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum eius: ipse aedificabit domum, et firmabo solium eius usque in aeternum. Ego ero et in patrem, et ipse erit mihi in filium, imo singularia mysteria conceptionis, nativitatis, circumcisionis, adorationis magorum, baptismi, praedicationis, mortis, sepulturae, resurrectionis, et ascensionis divinitus ei fuere revelata, ut ex tota serie psalmorum liquido constat. In eadem etiam aetate manifestavit Deus non paucis prophetis incarnationis mysterium, ut ipsi testantur: Isaiae (c. 9): *Parvulus natus est, et filius datus est nobis:* Ieremiae (c. 31): *Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum:* Danieli (c. 9): *Delectatur iniquitas, et inducitur iustitia sempiterna, et impletur visio, et propheta, et unguetur sanctus:* Aggaeo (c. 2): *Lauda, et laetare filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui:* Malachiae (c. 2): *Ecce ego mitto angelum meum, et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis.* Id tandem ipsum multis aliis prophetis revelatum est, Amos dicente (c. 3): *Non faciet Dominus verbum, nisi revelet secretum suum ad servos suos prophetas.* Ad extremum in sexta, et ultima aetate Deus, qui fidelissimus est in suis promissionibus, quolquot patriarchis, regibus, et prophetis pollicitus fuerat, plenissime implevit, mittens Filium suum, ut in Mariae utero carnem assumeret. Ecce quam veraciter b. Virgo diserit (Luc. 1): *Suscipit Israel puerum suum, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini eius in saecula.**

Antequam tamen ulterius progrediar, non possum silentio praeterire, cur Deus, cum Filium suum in mundum ab eo mittendum a nunciis suis pollicetur, promissionem suam iuramento confirmabat, ut (Gen. 22): *Per memissum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi:* David etiam inquit (Ps. 131): *Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum; et Zacharias (Luc. 1): Iusurandum, quod iuravit ad Abraham patrem*

nostrum daturum se nobis. Huic interrogatio exacte respondent verba d. Pauli dicentis (ad Heb. 6): *Abraham naque promissiones Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semelipsum dicens: Nisi benedicens benedicam te; et multiplicans multiplicabo te: et sic longanimiter ferens adimpletio est repositionem. Homines enim per maiorem sui iurant: et omnes contractoriae eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haereditas immobilitatem consilii sui, interposuit iusurandum, ut per duas res, et immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontificis factus in aeternum; haec tunc Apostolus: in quibus verbis tres rationes propositi quaesiti indicat Paulus. Prima est, apud homines omnium contractuarum finem fieri confirmatione iusurandi: quia erga homines hunc morem habebant, ut controversias iurando penitus finirent, ad eum morem se Deus accommodare volens, suas promissiones iurando confirmavit, ut nihil eorum desideraretur, quod apud homines certitudinem, ac firmitatem dicitis, promissisque addere solet. Secunda, Deus adhibet iuramentum propter humanam incredulitatem, quo eos implendae promissionis secretiores reddat: unde Hieronymus (in 14. Iai.) dixit: *Iurat Dominus, cui etiam non iuranti credendum est, quod sua aestimatio non fallatur, et quod mente concepit, irritum non fiat.* Hoc autem humano loquitor affectu, quod scilicet non fallatur, qui falli non potest. Tertia, ut significet immobilitatem promissionem, et infallibilem eventum eius rei, quam iurando futuram dixit: unde Damasceus (l. 1. de ortho. fide cap. 14) scribit: *Iuramentum significat constantiam, et immobilitatem consilii eius; et quod apud nos contractus, qui invicem fiunt, per iuramentum certi sunt, firmitatemque habent.* Quoniam ergo duo sunt quae dicitis fidem et robur afferunt, nempe promissio, et iusurandum, atque illa promittentem obnoxium faciant suae promissioni explendae; haec autem maiorem etiam necessitatem imponant efficiendi id, quod iuratur; solet Deus ad firmandam fidem, et spem in animis hominum utique uti, promissione scilicet, et iuramento, ut omnino impossibile esse intelligatur, Deum mentiri, vel fallere, aut eius promissionem frustrari posse. Quod si indecens, vel supervacaneum esse dicas, Deum dicta, et promissa sua iuramento firmare, cum nuda, et simplex Dei affirmatio, vel negatio tantam habeat firmitatem, quantum eadem habere potest. Neque etiam additis iuramentis, et Deum iurare, videtur quidquam minuire de eius auctoritate, et maiestate: audias quid respondent Thomas Anglus (in cap. 22. Genes.) brevissime et doctissime huic obiectioni satisfaciens: *Exterior iuratio Dei multum valet respectu nostri ad ampliore confirmationem nostrae fidei, et spei. Quia secundum**

apostolum, per hoc Deus abundantius ostendit propositum, et promissionis suae immutabilitatem. Quare licet iurare, nihil secundum rem addat ad simplex Dei verbum, multum existimationem hominum. Quenamodum et si Dei voluntas secundum se aequalis semper sit, et uniformis, respectu tamen obiectorum suorum quodammodo se habet secundum magis, et minus. Unde dicitur, Deum plus diligere seipsum, quam creaturas; et plus vult se diligere a nobis, quam proximum. Similiter igitur de iuramento Dei potest dici: non quia minus malum est peritiorum, quam simplex mendacium; ideo secundum hanc rationem dicitur, impossibilis esse ipsum Deum petere, quam mentiri: quatenus secundum se, et absolute utrumque sit et aequè impossibile. Non est igitur indecens, Deum iurare per semetipsum; tum quia non iurat, quo firmius, et creditibilis fiat dictum suum ex parte ipsius, sed respectu nostri, quo scilicet debitas fidei nostrae roboretur, firmeturque vehementius: tum quia non iurat per aliquem maiorem se, aut per alium a se.

Verum, ut haec magis confirmetur, audiamus, si placeat, pulchram, quam Philo (lib. de sacrif. Abel, et Cain) instituit disputationem, an Deo conveniens sit iurare; quam diserite tractat eo libro, quem inscripsit de sacrificio Abel, et Cain; sic autem ait: Cum Scriptura Deum iurasse narrat, inspicendum est, an id vere Deo conveniens, et conducens esse putandum sit. Quoniam id videtur plurimis esse Deo alienum, atque indecorum: iurandorum enim intelligitur testimonium de re ambigua; de Deo autem nihil est incertum, ne dubium; qui etiam alios in cognitionem veritatis videtur adducere. Ipsi certe nullo teste opus est, nec est alius Deus ei honore par. Testis praeterea, ut dicit testimonium, maior est eo, cuius testimonium perhibet. Alter enim opis indiget, alter opem fert. Sed quod opem fert, fide dignius est eo, quod illa indiget; Deo autem nihil praestantius, nihil de fide dignius. Et homines quidem, ut fides eis habeatur, ad iurandum confugiunt; Deo vel simpliciter loquenti fidem non habere impium est. Quaelibet enim Dei verba, quantum ad certitudinem, iuramento differunt. Itaque fit, ut sententiae nostrae ex iurandorum fides accedat, ipsi autem iuramento ex ipso Deo fides adstruitur. Non enim propter iuramentum creditur Deo, sed iuramento creditur, quia Dei auctoritate firmatur. Cum igitur Scriptura iuramentum inducit Deum, nimirum, ut infirmitatem naturae nostrae coarquet, et conviciam consolaretur. Non enim potest anima nostra semper habere praecipuum ius de Deo sententiam: Non esse eum homini similem, ut transcendamus, quidquid praedicant de homine, sed quia maxima ex parte affinis sumus rerum mortalium, nec sine haurum admiratione cogitare quidquam possimus, sed induti rebis mortalibus, tanquam cochleae, eisque in mare carum involuti, easdem de illa beata, immortalique natura, quas de nobis notiones habemus, verbis quidem negantes eum humana forma, et affectu esse, re autem ipsa humanos affectus, et mores et tribuentes. Nam,

et manus ei affigimus, et pedes, et surgere, et stare, et ambulare, et odium, et iram, et poenitentiam affectus profecto nihil ad auctorem illum summum pertinentes, in quibus et iurandum est, quo nostra sublevari infirmitas. His adde, nulla Deum praedixisse futura, quae quia tacitam conditionem importabant, haec non subsistente, illa non fuerunt impleta; ut contigit regi Ezechiae, cui in infirmitate sua Dominus per prophetam dixit: *mortieris; et tandem incolumis evasit, imo et cum augmento quindecim annorum ad vitam suam: illa enim Dei sententia: morieris, continebat involutam conditionem, nisi ille Dominum deprecaretur; deprecatus lamen fuit, et ideo mortem non obiit.* Promisit etiam Deus per Ionam prophetam, post quadraginta dies Niniuitarum urbem esse subvertendam, quae tamen subversa non est, quia erat sub conditione, si non poenitissent; quia tamen ad praedicationem Ionae poenitentiam egerant, subversionis effectus secutus non est. Unde recte Abulen. (in cap. 23, Num. q. 8) dixit: *Comminatio absolute facta resoluitur in conditionem.* Similiter Deus promisit populo Israel terram promissionis, quam tamen nemo ingressus est, nisi Caleb, et Iosue; quia illa promissio fuit conditionata, nempe si illi Israel in fide Dei sui perseverarent, divinis promissionibus credentes: unde Apostolus (ad Heb. 4) dixit: *Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei: hoc est sermo, quem audierunt per Moysen de regio terra Palaestinae, non profuit illis, quia non fuit coniunctas fidei: ac tandem Christo Domino dicente ad discipulos suos, inter quos aderat Iudas (Matth. 19): In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel: et tamen constat Iudam non sessurum, quia promissio fuit sub conditione perseverantiae in bono; quam quia Iudas non implebit, sedem promissam consequatur.* Quando tamen Deus promissioni suae addit iuramentum, id certe facit ad significandum illam non esse conditionalam, sed simpliciter absolutam, ac infallibiliter implendam. Unde concilium Toletanum dixit, Deum quandoque iurare ad significandum, quod quo ab ipso ordinata sunt, nullatenus retractantur. Atque hinc ansam sumamus oportet, ad ostendendum divinarum promissionum certitudinem et immutabilitatem, voluminarum vero et contra inconstantiam, et volubilitatem. David quidem dixit (Ps. 144): *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis: et eius filius inquit (2. Paral. 6): Domine Deus Israel non est similis tui, Deus in caelo, et in terra, qui custodit pactum, et misericordiam cum servis tuis, qui ambulat coram te in toto corde suo, qui praestitisti sermo tuo David patri meo quaecumque locutus fueras ei, et quae ore promiseras, opere complesti.* Solum ergo Deus implevit, quod promiserat Davidi (Ps. 131): *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, mittens Filium suum, ut ex genere eius carum tuum assumeret; sed et voluit, ut illam carne induto ad unguem et perfectissimè omnia, quae de Deo praedicta erant, de illo*

implerentur: hinc b. Virgine Christum concepit, impletum est illud Isaiae vaticinium (e. 7): *Ecce Virgo concipiet, et pariet: nascentem illo in Bethlehem, impletum est illud Michaeae (e. 5): Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit Dux, qui regat populum meum Israel.* Christo in praesepio posito inter bovem, et asinum, impletum est illud (Is. 1): *Cognovit hos possessorem suum, et asinus praesepie domini sui, ut adolarent d. Chrysostomus (ser. de nat. Dom.), beatus Cyrillus (hom. 5. de Trinit.), necnon et Origenes (hom. 13. in Luc.): quando nomen Iesus susceptum in circumcissione, impletum est illud (Is. 62): Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit: quando fuit in templo praesentatum, impletum est illud Malachiae (e. 3): *Statin veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quaeritis, ut adnotavit Theodoretus (super Isaiaem): quando propter herodianam persecutionem in Aegyptum ivit, impletum est illud Isaiae (e. 19): Ingrederetur Aegyptum; quando autem immanis facta est infantium occisio, impletum est illud Ieremiae (e. 31): Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus: quando rediit ex Aegypto, illud Osee impletum est (e. 11): *Ex Aegypto vocavi filium meum: quando in baptismo Iordanis aperti sunt caeli, et super caput eius sedit Spiritus sanctus sub specie columbae, impletum est illud (Isa. 30): Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei, ut observavit Iustinus martyr (Dialog. cont. Triph.).* quando in deserto tentatus fuit a diabolo, impletum est illud Zachariae (e. 3): *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, et satan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei, ut adnotavit Origenes iuxta allegoricum sensum, nec non et d. Ambrosius (lib. 5. de fide cap. 4): quando Christus Dominus turbas docebat, impletum fuit illud (Isa. 30): Non faciet evolare a te ultra doctorem tuum; et erunt oculi tui videntes praeproptorem tuum; quando ab humanis corporibus praecipit daemonia expellebat, impletum fuit illud (Isa. 27): *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Levitiam serpentem veterem, ut advertit Tertullianus (lib. 4. contra Marcionem): quando miracula patrabat, impletum fuit illud (Isa. 33): Aperitur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, ut sanctus Hilarius (sup. Psal. 105) adnotavit: quando e templo illud prophantes expulit, impletum fuit illud Davidis (Ps. 68): *Zelus domus tuae conedit me: cum ingredierem Ierusalem infans illum laudabant, impletum fuit illud regis vatis (Ps. 8): Ex ore infantium Deus, et lactentium perfecisti laudem: quando tunc Hebraei variis conviciis, et detractioibus illum lacerantes consilium inierunt ad illum occidendum, impletum fuit illud (Psal. 2): *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes conenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius: quando discipulos suos ad Eucharistiae mensam invitavit, impletum fuit illud (Isa. 23): *Et faciet Dominus concivium in monte hoc, ut observavit Aymon (su-*******

*per Isaiaem):* quando triginta argenteorum pretio sacrolego ausu venditus fuit, impletum novimus illud Zachariae (e. 11): *Appendere mercedem meam triginta argenteis, ut exponit Rufinus (super Symb.):* quando a familiari, et domestico discipulo, et per prodicionem in manus inimicorum fuit traditus, impletum est illud (Psal. 87): *Qui edebat panes moos, magnificavit super me supplicationem, ut tradidit Chrysostomus (tract. quod Christus sit Deus):* quando discipuli fugientes, appropinquante morte illum deseruerunt, impletum fuit illud, quod in eis persona praedixerat Iob (e. 19): *Frater meus longe fecit a me, et noti mei, quasi alieni recesserunt a me, ut exponit d. Gregorius (in suis Moral.):* quando variis opprobriis fuit impetitus, impletum fuit illud (Psal. 68): *Propter te sustinui opprobrium tota die, operi confusio faciem meam, ut interpretatur Origenes (super Matthaicum):* quando alapis percussus, et flagellis caesus, impletum fuit illud (Isaia e. 50): *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas volentibus: quando Pilatus dixit: Ecce homo, et Iudaei clamabant: Tolle, tolle, impletum fuit illud (Isa. 53): *Expectaet, ut faceret iudicium, et esse iniquitas, et iniustitia, et ecce clamor, ut explicat Tertullianus adversus Iudaeos: quando ligneam crucem humeris suis baiulabat, impletum est illud (Isa. 9): *Et factus est principatus super humerum eius, ut docet Iustinus (in Apolog. 2. pro Christianis):* quando ligno crucis affixus, impletum fuit iuxta expositionem Hieronymi ad Augustinum illud Ieremiae (e. 11): *Venite, mittamus lignum in panem eius: quando acutissimis clavibus manus et pedes eius fuerunt confossi, impletum est illud (Psal. 21): *Roterunt manus meas, et pedes meos: quando sibiundus aceto fuit potatus, impletum credimus illud Davidis (Psal. 68): *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto: quando in latere percussus fuit lancea a Longino, impletum est, iuxta Hieronymum, illud (Isaia e. 48): *Sediti petram, et fluxerunt aquae: quando sol obscursatus est in nece Domini, impletum est, ut ait Tertullianus (lib. 4. contra Marcionem e. 61), illud Amos prophetae (e. 8): *Occidet sol in meridie, et tenebrosae faciant terram in die lunaris: quando sepulture mandatus, et in sepulchro novo positus, impletum fuit, ut ait Iustinus martyr (Dialog. cont. Triph.), illud Isaiae (Isa. 11): *Et erit sepulchrum eius gloriosum: quando descendit ad inferos, et carceres expoliavit, et tartareas regiones contrivit, impletum fuit illud (Isa. 43): *Gloriosos terrae humiliabo, portas aereas conteram, vectes ferreas confringam, ut Hilarius (in Psal. 138) interpretatur: quando victor de morte surrexit ad immortalem vitam, impletum fuit teste Cypriano illud davidicum (Psal. 56): *Ecce gloria mea, ecce palterium, et cithara, ecce organum dilectum: quando triumphans super coelos ascendit, ecce impletum illud (Psal. 46): *Ascendit Deus in sublatione, et Dominus in voce tubae: sedente in coelo ad dexteram Patris, impletum fuit quod ceccinerat David (Psal. 109): *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextris meis, ut observavit Aymon (in comment. huius loc.):* quando in coelo re-***********

gnans, inde Spiritum sanctum misit super discipulos, et ad prophetandum, et ad evangelizandum divina illustratione mentes eorum instruit, et linguas disertissimas reddidit, aperte satis impletum fuit illud Iocelis (Act. 2): *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri*, iuxta expositionem d. Petri. Quando deinde divino Spiritu atlante, apostoli in varias mundi regiones divisi evangelicam Christi doctrinam disseminarunt, impletum fuit illud Davidis (Psal. 18): *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, ut doctor gentium explicuit ad Romanos scribens: ac tandem si omnia, quae Deus promisit, ac fidelissime implevit, recensenda mihi forent, oporteret ut in infinitum abiret oratio. Quod si aliquando videatur Deus aliquid pollicitum fuisse, et non implevisse, ut in rege Ezechia, Ninivitis, et aliis paulo ante commemoratis, dicendum est primo ex doctrina angelici doctoris s. Thomae (p.p. q. 19. ar. 3. et 2.2. q. 171), quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, ut puta, secundum dispositionem naturae, vel meritum, quod tamen reipsa non fit, quia aliter est in causa superiori divina: quomodo praedicta fuit Ezechiae aegrotanti mors, et peccantibus Ninivitis subversio; quod tamen non ita evenit, quia ab aeterno aliter fuit in scientia, et voluntate divina, quae immutabilis est. Et propter hoc dicit Gregorius (lib. 20. Moral. cap. 23), quem referunt d. Thomas (p.p. q. 19. ar. 7), et Glossa ordin. (sup. c. 38. Is.). quod *Deus immutat sententiam, non tamen immutat consilium*: quae verba exponens ibidem Glossa ordinaria: *Per sententiam, inquit, debemus intelligere sensum verborum; consilium vero ab aeterna dispositione est*. Secundo dicendum, quod in libro praescientiae divinae non omnia, quae in eo scripta sunt, prophetae legentes percipiunt, sed quaedam tantum iuxta divinum beneplacitum; atque inde est, quod Isaia in illo libro legerat, Ezechiae iuxta eius opera non fore ultra pretendendam vitam, non tamen legit ibidem lacrymas, et instantes preces, quibus longiorem vitam erat impetraturus. Similiter etiam Ionas in eodem divinae praescientiae libro legerat, ob Ninivitarum scelera quadragesimo die fore complendam, et iuxta illorum merita civitatem penitus devastandam, non autem legerat futurum esse, ut per eius praedicationem in cinere et cilicio poenitentiam essent acturi, et misericordiam consecuturi. Uterque igitur, quod legerat praedicavit; sed quia Deus aliud disposuerat, quod ipsos tunc latebat, ideo quaedam praedixerunt, quae tamen postea non fuerunt executioni mandata, sed vice illorum alia excellentiora Deus implevit, misericordiae suae thesauros ostentans.

Tam igitur Deus fidelis est in suis adimplendis promissis, ut frequentissime maiora dona conferat, quam promiserat. Promisit quidem tempore Moysis, et Aaron virgam eius, qui in sacerdotem esset eligendus, flores esse germinatam, postea vero non solum germinavit flores, sed et fructus produxit (Num. 17): *Turgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis di-*

*latatis, in amygdalas deformati sunt*: pollicitus fuerat Deus iusto illi Simeoni non prius e vita discessurum, quam oculis suis Verbum divinum humana carne indutum conspiceret (Luc. 2): *Responsum acceperat Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*; postea tamen non solum datum est ei ut videret, sed, ut nihil suis suscipere, et propriis manibus contractaret. Ecce maiora Deus implet, quam promiserat: cuius tamen contrarium semper facit fallax mundus, qui cum magna tibi polliceatur, paucissima tamen, eaque curte, diminute, et avare nimis implet: in cuius figuram legimus, quod Laban promiserat Iacob pulchram filiam Rachel in uxorem, si septem integros annos ei inservisset, sed in nullo pacto, et transacto septennio, vice pulcherrimae Rachelis sibi promissae tradidit ei filiam suam Liam, quae lippis erat oculis: non secus certe fraudulentus hic mundus per Laban, qui *dealbatio* interpretatur, merito significatus, qui mundus velut sepulcrum dealbatum est, quod foris splendet, et intus foetet, hic inquam promittit pulchram Rachelem, quae *ocis* interpretatur, quae symbolum est abundantiae, quia lacte suo nutrit, carne pascit, lana corpus indat, et pelle pedes caleat: bonorum igitur copiam promittens inopiam donat, ac vice pulchrae Rachelis lippientem Liam, quae *laborem, et defatigationem* significat, nobis tradit: non sic, non sic noster Deus, inquit Maria, sed quod olim promisit, in plenitudine temporis adamussim complevit (Luc. 1): *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini eius in saecula*: semini, inquam, non solum carnali, sed spirituali; utrumque enim Deus comprehendit, cum Abraham dixit (Gen. 22): *Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et sicut arenam, quae est in litore maris*: semen quidem carnale, hoc est, *Judaeos*, accipit per *arenam*; semen vero spirituale, hoc est, *fideles*, intelligit per *stellas caeli* fidei lumine splendentibus. Nos igitur catholici Ecclesiae romane legitimi alumni, verum semen, et veri filii Abrahamae sumus per Christum, qui de semine Abrahamae carnem assumpsit; unde Apostolus dixit (ad Gal. 3): *Si autem et vos Christi, ergo semen Abrahamae estis, secundum promissionem haeredes: et alibi, qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahamae*: sic enim Zacchaem Christum Dominum filium Abrahamae nominavit, et mulierem illam fidelem, quae per decem annos incurvata, tandem curata fuerat, filiam Abrahamae nuncupavit; perdidit autem Iudaei, quibus Christus Dominus dicebat, cum sese filios Abrahamae iactabant (Ionn. 8): *Si filii Abrahamae estis, opera Abrahamae facite*, ab Abrahamae fide degenerarunt; et ideo ab eius filiatione longe absunt, ipso Deo de illis dicente (Ps. 17): *Filii alieni mentis sunt mihi, filii alieni invecrati sunt, et claudicaverunt a semitis tuis*: quibus verbis videtur David allusionem facere ad claudicationem Iacob, Iudaeorum claudicationem adumbrantem: sicut enim Iacob pedem unum claudum habebat, alium rectum, et sanum, ita duo sunt filii Abrahamae, Iudaei quidem claudicantes, Christiani vero secundum fidem sani, et recti.

Ad extremum advertendum est, ut propo-

sita verba magis enucleata maneat, quod cum beata Virgo addidit in saecula, bifariam contextus potest ordinari; primo, cum ultimis verbis superioris versiculi, nempe *recordatus misericordiae suae*: ita ut hunc sensum reddat: *Deus recordatus misericordiae suae in saecula, hoc est, in aeternum, quia dictum est (Ps. 135): Quoniam in aeternum misericordia eius:*

secundo potest ordinari cum verbis huius ultimi versiculi, nempe, *sicut loquutus est*, et tunc idem valet, quod per *saecula*, hoc est, per singulas aetates successive: ac si diceret: numquam cessat omnibus benefacere Pater misericordiarum, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.